
Staatsbibliothek
zu Berlin
Preußischer Kulturbesitz

PROPHETIAE SEV VA=||TICINIA XIIII. TABELLIS EX=||PRESSA, DE HORRENDIS CALAMITA-||TIBVS ORBI TERRARVM IMPENDENTIBVS, DE EVERSIONE IMPERII TVRCICI, ET MAHVME-||tanae superstitionis abolitione, de Turcarum ad fidem || Christi conuersione: de Antichristi Regno, dira || Tyranni de foedo#[que] exitu, partim ex Sancto-||rum quorundam hominum monumen-||tis, partim ex celebratorum Astro-||logorum ...

Vollständiger Titel:	PROPHETIAE SEV VA=||TICINIA XIIII. TABELLIS EX=||PRESSA, DE HORRENDIS CALAMITA-||TIBVS ORBI TERRARVM IMPENDENTIBVS, DE EVERSIONE IMPERII TVRCICI, ET MAHVME-||tanae superstitionis abolitione, de Turcarum ad fidem || Christi conuersione: de Antichristi Regno, dira || Tyranni de foedo#[que] exitu, partim ex Sancto-||rum quorundam hominum monumen-||tis, partim ex celebratorum Astro-||logorum commentarijs in v-||num collecta, studio || & opera.|| GREGORII IORDANI VENETI || SERENISSIMI PRINCIPIS ERNESTI VTR.|| BAVA. DVCIS. ARCHIEPISC. ET ELECT. || COLONIENSIS ETC. ELEEMOSYNARII ET || COSMOGRAPHI.||
PPN:	PPN799273287
PURL:	http://resolver.staatsbibliothek-berlin.de/SBB000174C500000000
Erscheinungsjahr:	1591
Signatur:	Na 7911
Kategorie(n):	Historische Drucke, Aberglaube / Mystische Philosophie
Projekt:	VD16 digital
Strukturtyp:	Monograph
Seiten (gesamt):	52
Seiten (ausgewählt):	5-45
Lizenz:	Public Domain Mark 1.0

PROPHETIÆ SEV VATICINIA XIIII. TABELLIS EXPRESSA, DE HORRENDIS CALAMITATIBVS ORBI TERRARVM IMPENDENTIBVS, DE EVERSIONE IMPERII TVRCICI, ET MAHVMETANÆ superstitionis abolitione, de Turcarum ad fidem Christi conuersione: de Antichristi Regno, dira Tyrannide fœdoq; exitu, partim ex Sanctorum quorundam hominum monumentis, partim ex celebratorum Astrologorum commentarijs in vnum collecta, studio & opera.

GREGORII IORDANI VENETI SERENISSIMI PRINCIPIS ERNESTI VTR. BAVA. DVCIS. ARCHIEPISC. ET ELECT. COLONIENSIS ETC. ELEEMOSYNARII ET COSMOGRAPHI.

Joachimus Abbas

Sancta Brigitta

MD XCI.

Matthæi cap. 24. verſ. 7.

Conſurget gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt peſtilentiæ & fames, & terræmotus per loca.

Luc. 21. verſ. 25. & 26.

Et erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis: & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. nam virtutes cœlorum mouebuntur, &c.

Et Verſ. 28.

His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

Et Verſ. 31.

Quum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum DEI.


Ex Biblioth. Regia Berolinensi

ILLVSTRI ET GENEROSO D. D. IOHANNI FVGGERO BARONI

ET DOMINO IN KIRCHBERG ET VVEISSEN-horn, &c. Domino suo gratiosissimo.



VM Prophetias siue prędictiones aliquot de grauissimis rebus, quas partim sancti homines, partim Astrologi iam olim temporibus nostris euenturas prędixêre, multorum annorum labore & vigilijs, tum ex impressis, tum ex manu scriptis eorum operibus, in vnum volumen redegissem: easq; visum esset, ad publicam vtilitatem, in lucem emittere, adiunctis tabellis quibus res tota spectantibus velut ob oculos poneretur: vt homines commonefacti de ira DEI, pœnisq; ac flagellis horribilibus quibus impietatem & iniustitiam nostram iam iam vlcisci paratus est, matura resipiscentia, seriaq; vitæ emendatione has calamitates à se auertere studerent: & ex antiqua laudabiliq; consuetudine, quęrendus esset huic opusculo patronus, qui illud aduersus inuidorum latratus morsusque tueretur; tu mihi in mentem venisti Illustris & generose Baro; qui tum natalium splendore, tum raris eximijsque animi dotibus ac ornamentis, eam apud homines auctoritatem consecutus es, vt Zoilos omnes facilè ab obtrectando deterreas; & bonas artes earumque studiosos (quod Illu-

 stri

ſtri Fuggerorum familiæ peculiare videtur) eo fauore beneuolentiaque comple-ćteris vt Mecœnas ille, Maronis, Flacci multorumq; aliorum verſib⁹ tantopere concelebratus in te hoc ſæculo renatus eſſe videatur. Itaq; cui fœtum hunc ingenij mei potius committerem quam tibi habui neminem. Eum igitur læta hilarique fronte recipe in fidem tutelamq; tuam; vt ſub nominis tui patrocinio, velut Aiacis clypeo, à virulentis maleuolorum calumnijs tutus conſiſtat; nec non vt meæ erga te obſeruantiæ pignus & monimentum ad poſteritatem exſtet ſempiternum. Vale. Coloniæ Agrippinæ XV. Calend. Aprilis, Anno à partu Virginis M. D. XCI.

Illuſtri & generoſæ Dom.ni tuæ addićtus cliens Gregorius Iordanus.

AVCTOR

AVCTOR PIO CANDIDOQVE LECTORI. S. D.



FFERIMVS hîc tibi, candide Lector, tabellas decem, addita breui earumdem explicatione, de grauiſſimis calamitatibus caſibuſq; prodigioſis, orbi terrarum impendentIbus: quos non ſolùm ſancta Brigitta, Abbas Ioachimus, alijq; Sancti homines; verumetiam complures eximij Aſtrologi iampridem euenturos prædixêre. Futurum eſt enim, vt mundi perfidiam & impietatem Deus acerrimè vlciſcatur flagellis ſuis fame & peſte, quæ per omnes terræ plagas longè latèq; graſſabuntur; ſed in primis atrociſſimis bellis, quæ terra mariq; paſſim exardeſcent, & tantam hominum ſtragem æditura ſunt, vt anno 1595. vix tertius quiſq; ſuperſtes futurus exiſtimetur. Cuiuſmodi calamitas, á iactis mundi fundamentis neq; viſa fuerit vnquam, neque audita. quę tantum hominib⁹ terrorem incutiet vt metu velut ſtupefacti & exanimat, non futuri ſint apud ſe. Tum Deus, pro infinita ſua clementia, animos Principum Chriſtiani nominis flectet ad pacem & concordiam. qui omnes, deterſis ſyncerè odijs, contrà Turcam coniuratione facta, coniunctis eum viribus adorientur, ac omni tandem ditione exuent. Hic tam inſigni clade & ignomina velut ſubactus, & Spiritu ſancto adflatus, poſita ferocitate, Chriſtianam religionem, cum omnibus ſuis, amplectetur. Succedet deinde regnum tyrannicum Antichriſti; qui qualem habiturus ſit exitum, in

explicatione Decimæ & vltimæ tabellæ dicturi ſumus. Ne autem Lector harum rerum cupidus & ſtudioſus quicquam deſideraret eorum quæ ad pleniorem huius argumenti explicationem facere videantur; adiunximus ad calcem huius opuſculi, effigies octo Romanorum Pontificum, qui pòſt Gregorium XIIII. qui noſtra hac ætate Romanæ Eccleſiæ præeſt, ſibi inuicem ordine ſucceſſuri ſunt, additis ſingulorum elogijs, quæ in vaticinijs Abbatis Ioachimi reperiuntur. Poſtremi autem Pontificis finem excipiet initium regni Antichriſti. Porrò libellus hic non eo conſilio hoc tempore in lucem æditus eſt, vt inani otioſorum hominum curioſitati ſeruiat; ſed vt ij qui pijs operibus hactenus gnauiter incubuerunt, in tam ſancto propoſito, & vitæ inſtituto magis confirmentur: qui verò ſpreta neglectáue Diuina lege, omni flagitiorum genere per omnem vitam, ſeſe contaminarunt, nunc ſaltem horribilibus hiſce pœnis expergefacti & perculſi reſipiſcant, & in viam redeant; ne diutius in peccatis perſeuerando, ſua contumacia, obſtinataque malitia iram Dei tandem in caput ſuum prouocent.

Discordia Christianorum Principum, quam magna hominum cædes, vrbium euersiones, & populorum rebelliones consequentur



TABELLA PRIMA.

SEPTEM Reginæ quæ hostili animo, strictis gladijs inter se confligunt, septem præcipua Europæ regna significant; nimirum Germaniam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Poloniam, Moscouiam, & Italiam: inter quæ grauissima dissidia excitabuntur, quæ Diabolus (vt in Tabella expressum vides) flabellis suis magis accendet. Profectò hæc discordiæ semina ab eodem pacis hoste iam pridem per Europam nostram dispersa tam firmas in ea radices egerunt, vt bellorum tribuli & spinæ varijs iam in locis emergant. Videmus quam miserè sit adflicta Gallia, quis sit status Poloniæ, Germaniæ, ac orbis denique vniuersi, neque enim Europæ finibus hæc discordiarum pestis inclusa est: sed reliquas etiam mundi regiones sua contagione infecit; vt verè affirmare possimus, in ea nos tempora incidisse, quæ Christus olim ventura prædixit: futurum nimirum vt exsurgat gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Vnde facile colligi potest, non procul abesse tremendum illum supremi iudicij diem. Quare etiam atque etiam cauendum nobis est, ne contumaciter & obstinatè in peccatis persistendo, iram Dei cordis nostri duritie prouocemus, quam iam accensam & quatuor flagellis, fame, peste, bello, terræmotu in perniciem nostram (ni maturè recipiscimus) armatam conspicimus; omniquè opera & studio enitendum, vt vera pœnitentia, seriaque vitæ emendatione quam primùm ei reconciliemur, pœnasque acerbissimas iamiam imminentes à ceruicibus nostris depellamus.


Væ tibi Ciuitas philosophorum. Eheu, Eheu misera Ciuitas
SANGVIS
2

TABELLA SECVNDA.

SECVNDA Tabella demonſtrat horribiles pœnas & flagella quibus in homines Deus, lenitate & patientia ſua tam diu impiè abutentes, ſeueriſſimè tandem animaduerſurus eſt. Prædixit olim ſancta Brigitta grauiſſimas diſcordias inter Reges & Principes, temporibus noſtris excitatum iri, cuiuſmodi iam inde ab orbe condito nunquam fuerint auditæ. Rebellabit paſſim populus aduerſus Principes, crudeliſſima varijs in locis bella naſcentur, quæ tantam quaqua verſum facient vaſtitatem, & tot hominum millia abſument, vt parum abfuturum ſit, quin terra ab incolis vacua tota in deſertum & ſolitudinem redigatur. neq; enim Chriſtiani nominis prouincias duntaxat bellorum flamma vaſtabit, ſed etiam infidelium regiones per Aſiam & Aphricam longè lateq; depopulabitur.

Væ, Væ tibi ciuitas Philoſophorum à Noachi filijs ædificata. Gryphus ad terram adfligetur, cauſa prorſus cadet, neque vires ei in poſterum ad bellum cuiquam inferendum ſufficient.

Ingens in Eccleſia Dei ſchiſma orietur, atq; vrbis cuiuſdam cauſa grauiſſima bella naſcentur, in quibus infinita hominum multitudo mortem oppetitura eſt.

Interea dum Chriſtiani Principes, odio & liuore excæcati bella inter ſe gerent, mutuiſq; ſeſe vulneribus conficient, Turcarum Imperator complures Chriſtiani nominis vrbes expugnabit, & vſque ad flumen Rhenum caſtra promouebit; verum dum celebrem quandam vrbem ad Rhenum ſitam nomine C. obſidere inſtituet, à Chriſtianis in fugam agetur, magna exercitus parte amiſſa.

Sub idem tempus grauiſſimi motus per Europam excitabuntur, morte cuiuſdam Regis, cuius ditiones cognati genere proximi inter ſe diuident. Quæ res fundendi magna abundantia hu-

mani sanguinis causam præbebit. Sed virtute Germanorũ, regnum tandem legitimis hæredib. restituetur. Durabit autem hoc bellum menses circiter triginta tres, ac tertio demum prælio terminabitur.

Cum in quodam regno de noui Regis electione agetur, neque de ea inter primores eius regni satis conueniet, quibusdam hunc, alijs verò alium regem poscentibus; bellum atrox exorietur, ad quod concurrent omnes ferè Principes Christiani, ab Electoribus, in studia contraria factionesq́; diuisis in auxilium vocati. Interea Rex quidam potentissimus ab austro veniet, instructa ingenti nauium classe, innumerabiles validissimasq́; copias secum trahens; qui totos quinque menses tanta crudelitate grassabitur, obuia quæque ferro flammaq́; vastando, tantamq́; hominum multitudinem trucidabit, vt non solùm oculi à conspectu, sed etiam aures à commemoratione abhoritura sint. Quæ clades discordiæ Principum Christianorum accepta ferenda erit.

Inter potentissimos huius mundi Principes, ruptis fœderibus, capitales inimicitiæ nascentur. Multi Reges & magnates armis hostium opprimentur, opibusq́; eorum in prædam versis, ac ditionibus in alios translatis, ad extremam redigentur miseriam. O acerbos casus! Heu quibus ærumnis adfligentur, non tenuis fortunæ homines, sed omnium potentissimi!

Magni & periculosi tumultus varijs in locis excitabuntur, tantaq́; erit passim animorum consternatio, vt proprios liberos parentes deserturi sint, quo vitæ suæ in tanta omnium rerum perturbatione consulant. Plerîq́; in diuersas mundi plagas dispergentur. Durabit autem miseranda hæc rerum facies annos semptem, quibus terræ fruges obuij cuiusque direptioni expositæ erunt.

In prælio quodam multæ hominum myriades interficientur.

Europa

TABELLA SECVNDA.

Europa inprimis horrenda Dei flagella experietur. Signa in cœlo horribilia apparebunt, ignesq́; maximi ac prodigiosi effulgebunt, quibus adeò grauiter mortalium animi percellentur, vt supremum tum adesse mundi diem existimaturi sint.

Eheu quam miserè expilabuntur incolæ horum locorum! statim atque nummorum aliquid, supellectilis, aut cibariorum labore suo & industria corraserint, id protinus à prædonibus partim diripietur, partim consumetur. Hinc vrgebit fames, illinc pestis adfliget, bellum verò eos omni ex parte premet & circumdabit; adeò vt ante initium anni 1595. hominum vix tertius quisque mortem euaserit. nihil thesauri absconditi quemquam iuuabunt. etenim in lucem proferentur & expilabuntur, ac denique in nihilum redigentur. Itaq́; pœnitentiam agite, quia in gratiam iustorum dies illi adflictionum abbreuiabuntur.

Hic Deus eligit Principem qui voluntatem eius exequetur, qui alijs Principibus voluntate coniunctus vnà cum ijs se sistet coram Angelico Pastore.



TABELLA TERTIA.

TERTIA Tabella futurum ostendit vt Diuina Maiestas, expiato, magna ex parte, prædictis flagellis suo tabernaculo, misertus denuo populi sui, Principes omnes Christiani nominis, præter omnem spem & exspectationem, ad concordiam adducat qui communi consensu, concordibusq; suffragijs; principem electuri sunt, qui in reb. ad huius vitæ necessitates pertinentibus, tam bellicis quam politicis toti præsit orbi Christiano. Hic Dei voluntatem exsequctur, cuius nutu & prouidentia, omnes Christiani Principes fidelitatem & obedientiam huic Imperatori præstabunt, eiusqúe ductu & auspicijs fœdere inter se facto, coniunctisq; copijs, Turcarum Imperatorem inuadent, quem toto cum Imperio, falsaq; Mahometi lege funditus euertent; sicut inspecta Tabella videre licet; hunc Principem à Deo electum, genibus flexis in medio aliorum Principum constitutum, quibus Deus omnibus Angeli sui voce præcipit vt huic Principi, tanquam ministro ac amico suo dicto audientes sint. Porrò hi Principes, ita vti dictum est, animis armisq; coniuncti, complures vrbes, & in his præcipuam quandam totius Europæ seueris castigationibus expiabunt. Cæterùm quod Reges arma gladiosq; ad terram abijciunt, futurum id significat, vt Diuina clementia, ex animis Christianorum Principum, discordiarum semina, veræ omnium bellorum causæ quibus hodie, prohdolor, omnis Europa concutitur, fœlici illo sæculo radicitus euellantur.

TABEL-

Væ tibi Ciuitas septem collium, quando litera K laudabitur in muris tuis



TABELLA QVARTA.

QVARTA Tabella demonstrat præcipuam quandam Europæ ciuitatem grauiter adfligendam; quod Abbas Ioachimus disertis verbis in Vaticiniis suis expreßit: *Væ tibi*, inquit, *ciuitas S.C. quando potestates vnitæ erunt, & quando K littera laudabitur in mœnibus tuis, tunc appropinquabit casus & destructio tuorum potentum, & iudicantium iniustitiam: qui habent digitos suos falcatos, qui sunt falx desertitudinis, & in Altißimo blaspphemauerunt. Q.V.R.G. & in C.V. Videas tu qui sancta consideras, & sancta fers super humerum, ne puluis tuus fiat opprobrium, & barba profunda iustè incidatur; & maximè vituperaberis ipse consiliarius in morte Pontificis, cuius nomen Io. Obi.* Hæc Abbas Ioachimus.

C TABEL-

Hic Principes omnes coram Pastore Angelico foedus inter se faciunt, ad euersionem Religionis Mahumetanæ & Christianæ Religionis propagationem



TABELLA QVINTA.

QVINTA Tabella futurum docet, vt omnes Reges & Principes Christiani nominis Romam conueniant, vt sese sistant coram summo Pontifice, cui cognomen erit P. A. cuius Amadeus & Ioachimus in Vaticinijs suis meminere. Huius Pontificis hortatu ijdem Principes, fœdere inter se facto, vires copiasq́; coniungent, ad euersionem Imperij Turcarum, & exstirpationem quidem superstitionis Mahumetanæ, Christianæ verò Religionis propagationem. Porrò Angelicus hic Pastor summus creabitur Pontifex extra vrbem quandam Europæ præcipui nominis; dubijsq́; omnib. in rebus, ab Angelo Dei quid faciendum sit edocebitur. In hunc Diuina potentia, rara eximiaq́; Spiritus sui dona conferet, cuiusmodi Ecclesiæ Christi nascentis initio, Apostolis eius Lucas concessa fuisse testatur: nimirum miraculorum ædendorum potestatem, varijs linguis loquendi, abstrusioraq́; sacræ scripturæ mysteria & arcana explicandi facultatem. Quod ille Dei talentum non ignauè in terram defodiet, sed omni studio industriaq́; fœnerabit, ad Dei gloriam, & gregis sibi cõmißi salutem; quem saluberrimo Verbi Dei pabulo, ipse omnib. in locis apud populum concionando cibabit, & (quod maximam ad commouendos homines vim habere solet) sinceritate fidei, doctrinæ puritate, sanctæq́; ac inculpatæ vitæ exemplo ipse ouibus suis præibit. Porrò calamitates illæ quas orbi terrarum impendere supra diximus, temporibus eorum Pontificum euenturæ sunt, qui Pastorem hunc Angelicum proximè antecedent, quo Pontificatu fungente, tyranni omnes ex Ecclesia Dei eijcientur, sublatoq́; è medio omni schismate, conspirabunt omnes totius orbis nationes in iocundißimam illam fidei Christianæ vnitatem; nec vllo deinceps schismate Christi Ecclesia diuidetur, vsque ad tempora Regni Antichristi. Tunc inter Leonem, Aquilam & Gallum sincera, constans firmaq́; amicitia intercedet.

TABELLA

Prophetia inuenta in sepulchro Constantini, quæ ostendit finem Legis Mahumetanæ, quæ mille tantùm annos durare debet, ad quorum complementum quinque duntaxat anni desunt.




TABELLA SEXTA.

SEXTA Tabella continet prophetiam quandam, quæ à multis annis in sepulchro Constantini Imperatoris inuenta fuit, cælata in argento. Ea primùm ostendit finem Græcorum Imperij, capta à Turcis Constantinopoli; deinde Turcici Dominatus initium numerumq́; annorum quibus ille duraturus sit; sicut ex columna huic Tabellæ inserta apparet; in cuius vna parte videre licet Imperatores Christiani nominis Græcanico ritu coronatos; & in reliquis duab. pártibus, Imperatores Turcicos, quorum capitib. imminet serpens sese in gyrum voluens, supra hos verò noui Imperatores Christiani cōspiciuntur, qui exstincta Turcarū Monarchia, Cōstantinopoli denuò rerū potientur.

Vides prætereа stantem inter duos Mauros Turcarum Imperatorem; quorum alter, nimirum Mahometes, ei significat legis à se traditæ finem iam aduenisse. Quod vt facilius intelligatur, sciendum est Turcas pro certo statuere legem Mahumetanā non vltra mille annos duraturam. Cùm itaque constet natum fuisse Mahometem anno à partu Virginis 595. tempore B. Gregorij Papæ: manifestum est, ad complēdum mille annorum numerum vix quinq́; annos nostra hac ætate desiderari: quibus exactis, magnæ & insignes per vniuersum orbem mutationes exspectandæ sunt.

Vides in eadem Tabella Michaëlem Archangelum, qui Senatum Venetū, dextrum latus ei claudentem, & Russorū Regem stantē ad sinistram, ad fœdus contra Turcam feriendum excitabit. qui truculentum hunc Christiani nominis hostem, eodem tempore terra mariq́; adorti, cum imperio, omniq́; ditione spoliatum, in potestatem suam redigent. victoriam enim consequetur Leo ille de quo scriptum est: Vicit Leo de tribu Iuda. Deus Satanam subiget, fastumq́; ac superbiam infideliū, inuicta brachij sui virtute franget ac deprimet. Quocirca Mors clepsydram manu tenens, ostendit Imperatori Turcarum, ruinæ mortisq́; ipsius diem iam instare. Non celabo autem hîc Lectorē, Russorum Regem de quo diximus, eum esse quem speciatim Deus ad hoc delegit, vt Principibus omnibus Christianis ad Turcarum euersionem fœderatis, præsit, atq́; imperet.


Septem exercitus Christianorum vastantes Turciam, & in potestatem suam redigentes
Galli
Moscouitæ
Hispani
Itali
Poloni
Angli
7
Germani

SEPTIMA TABELLA.

SEPTIMA Tabella demonſtrat ſeptenas acies inſtructas, totidem potentiſsimorum Chriſtiani nominis Principum, qui coniunctis copijs, in Turciam impetum facturi ſunt. Hi cùm ad Imperatorum Turcarum contendent, vt collatis ſignis cum eo confligant; omnia paſsim ferro flammaq́; in itinere vaſtabunt, cæſis captíſue omnibus qui ſeſe reſiſtendi cauſa in conſpectum dabunt, vicis, caſtellis oppidisq́; direptis & incenſis; donec tandem è regione Imperatoris Turcici caſtra ponant.

TABELLA.

Exercitus Turcarum et duellum Christianorum Imperatoris cum Imperatore Turcarum, qui superatus Religionem Christianam amplectetur.



TABELLA OCTAVA.

OCTAVA Tabella futurum ſignificat, vt Turcarum Imperator, de coniuratione Principum Chriſtianorum certior factus, collectis in vnū viribus, coactoq́; ingenti validoq́; exercitu, ſeſe ad defenſionem comparet, et Chriſtianorum conatibus fortiter opponat. Tum diuerſa acerrimaq́; prælia committentur, in quibus infinitus hominum numerus vtrinq́; cadet. Ac initio quidem ad aliquod tempus pars vtraq́; vires ſubinde redintegrabit; donec Turcarum Imperator rem inclinatam, & ſe iam ſemiuictum videns, Conſtantinopolim fuga contendet. Cùm verò exiguam diutius ſeſe defendendi ſpem reliquam eſſe conſpiciet, ſingulari certamine cū Chriſtianorum Imperatore congredietur, à quo ſuperatus, Diuina clementia ſpiritus ſui Luce animum eius illuſtrante, Chriſtianam Religionem cum omnibus ſuis amplectetur, & ſacri baptiſmatis aqua ab Angelico Paſtore ablutus, deinceps populo Chriſtiani nominis adcenſebitur.

Hic Turcarum Imperator cum omnibus suis baptizatur Romæ ab Angelico Pastore, ac tum efficitur vnum ouile & vnus Pastor



TABELLA NONA.

NONA Tabella ſpectantibus ob oculos ponit Principes omnes Chriſtianos Romæ congregatos, vt præſto ſint ſummo Pontifici, Turcarum Imperatorem coram ſe in genua procumbentem ſacra Baptiſmatis aqua tingenti. Tum demum impleta erit prophetia illa, Erit vnum ouile & vnus Paſtor. tum, abolita Mahumetana ſuperſtitione, vniuerſus terrarum orbis tam diu optata concordia & exſpectata pace fruetur. Quare in eadem Tabella videre licet Mahometem ad imum Tartari ſiue Inferni abyſſum à ſerpente, hoc eſt à Diabolo detractum. Hoc tempore homines certatim nomina Chriſto Seruatori daturi ſunt.

Hic incipit Regnum Antichristi qui magna cum potentia, horrendaque et immani crudelitate regnabit menses quadraginta duos, quo finito æternum Dei de Mundo decretum executioni mandabitur.




TABELLA DECIMA.

DECIMA & vltima Tabella oſtendit Antichriſti Regnum, cuius inſignis erit potentia, & ſplendor eximius. Sunt qui eum natum fuiſſe exiſtiment tempore Gregorij Papæ eius nominis XIII. Anno Chriſti 1572. Tum enim ſtella quædam prodigioſa apparere cœpit in cœleſti figuratione quam Andromedam vocant, vbi complures menſes ſeſe conſpiciendam præbuit. Eſt autem vetus Hebræorum ſententia, nouā ſtellam nouum Regem portendere. Hinc naſcente Chriſto fulſit in Orientis regione ſtella illa quam Dominus pijs Magis Bethlehemam ad cunas recens ex Virgine nati Regis Iudæorum contendentibus inſigni miraculo ducem itineris eſſe voluit. Anno deinde quingenteſimo non ageſimo quinto, cùm impurus ille Mahometes in lucem æderetur, tempore Sancti Gregorij Papæ, horribilem & inuſitatæ magnitudinis Cometem in cælo conſpectum fuiſſe hiſtoriarum monumenta teſtantur. Sic tempore Gregorij XIII. noua ſtella, vt diximus, apparuit, quæ natiuitatem Antichriſti toti mundo ſignificaret. Atq; id cum dicto Sanctæ Brigittæ bellè congruit, quæ futurum adfirmat vt tempore prædicti Pontificis naſcatur vltima Beſtia; quæ ſanè neminem alium deſignare poteſt quam Antichriſtum.

Præterea noſtra hac tempeſtate ſigna illa euenire conſpicimus quæ Chriſtus iam olim natiuitatem Antichriſti anteceſſura prædixit: Exſurget gens cōtra gentem &c. Nam quando, obſecro, maiores grauioreſq; bellorum motus in mundo exſtiterunt quam exulcerato hoc noſtro ſæculo?

Porrò fama eſt locum natiuitati Antichriſti deſtinatum eſſe regionem illam Aquilonis, vbi decem tribus Iſraëliticæ concluſæ fuiſſe dicuntur; eò quod ſcriptum ſit, fore vt ab Aquilone pan-

datur omne malum: ac iisdem in locis Antichristum vitam acturum quietam, neq; sese palam orbi ostensurum vsq; ad annum ætatis suæ tricesimum. Tum verò (vt multorum fert opinio) ad opus se adcinget, & seditiosis ad populũ habitis concionibus, orbẽ vniuersum in Christum, omnesq; Christi nomen profitentes concitabit. plurima falsa fictaq; miracula magicis præstigiis æditurus est, quibus infinitam hominum multitudinem breui tempore in partes suas pertrahet. Multi reges & Principes ei dicto audientes erunt, et tanquam numen aliquod venerabuntur. Regnabit autem menses circiter quadraginta duos; ac interea fines imperii sui latè proferet, variisq; illud artibus firmabit. Nonnullos enim falsis dogmatibus infectos, ac velut incantatos in partes suas traducet; alios donis amplissimis allectos sibi adiunget, in quibus largiendis superiorum omnium Regum & Principum liberalitatem facilè superabit. ac ne aurum ei argentumq; ad eam rem vllo tempore desit, thesauros omnes terra mariq; absconditos, commonstrantibus eos Diabolis, in sua potestate habebit. quosdam deniq; minis atrocissimis, exquisitiq; tormentis ad obedientiam compellet. erit enim Regnum ipsius plenum horrendæ crudelitatis. Adeo verò periculosa erunt ea tempora, vt parum abfuturum sit, quin ipsi fideles, metu suppliciorum, fidem abnegent. Quotquot enim Christi nomen profitebuntur, eos omni cruciatus genere excarnificatos necabit. Etsi verò Diuina Maiestas, sine cuius nutu & voluntate, neq; Diaboli, neque eorum organa (sicut ex Historia Iobi manifesto liquet) vllas ad lædendos homines vires habent; Antichristo tam diræ tyrannidis in mundo exercẽdæ, ac electos præsertim, quo fides eorum exploretur, tam immani rabie persequendi potestatem & auctoritatem concessurus est: tamen ne iidem electi, carnis infirmitate circumdati, tormentorum acerbitate aut metu, frangantur animis, & de sanctæ vitæ statu fideiq; constantia detur-

deturbentur: Diuina misericordia, quæ nequaquã permittit vt grauius tententur serui sui quam vires eorum ferre & sustinere queant, extremi hoc examinis tempus nõ patietur esse diuturnum, sed quadraginta duorum mensium spatio circumscribet. Quibus exactis Antichristus, dum superba inflatus arrogantia, quo Iesum Christum Dei filium aliqua saltem parte referat, in cælum ascendere molietur, à Michaële Archangelo læthale vulnus accipiet. atq; ita nouus ille Lucifer è cælo in terram præcipitatus à Diabolis ad Tartara deprimetur. Tum duo insignes illi Dei prophetæ Enochus & Elias vitæ denuo restituentur, quibus triduo ante ceruices, Antichristi iussu amputatæ fuerint. Ac paulò pòst, eo scilicet temporis momento quo Diuinæ Maiestati visum fuerit (quod in sua Pater posuit potestate, neque hominibus id scire fas est) consequetur vniuersalis corporum resurrectio; qua peracta, Electi vnà cum Christo perpetuùm regnabunt: impij verò æternæ morti adiudicati, vnà cum Lucifero sempiternis in Inferno pœnis excruciabuntur.

Cum igitur, ô Popule Christiane, tum ex sanctorum hominum testimonijs quæ hactenus adduximus; tum ex signis quæ Christus olim secundum aduentum suum proximè antecessura predixit, quæ nostra ætate indies euenire conspicimus; cuiuis colligere promtum sit, iam prope instare extremum illum seueri iudicij diem, quo non solum omnium factorum, sed etiam verbi cuiusq; otiosi iusto Iudici ratio nobis reddenda erit: audiamus, obsecro, grauissimam illam Christi exhortationem, corda nostra hunc in modum compellantis: Pœnitentiam agite; appropinquat enim regnum cælorum; resipiscamus, vitamq; emendemus, & ad Dominum & Deum nostrum reuertamur, à quo auersi sumus quamdiu peccatis securè indulgemus. illa enim, (vt inquit Propheta) diuidunt inter Deum & nos. offeramus ei fragrãtissimum illud & acceptissimum obedientiæ sacri-

sacrificium, mandatis eius ex animo obtemperando; vt post hanc vitam proposita promissaq́; cultoribus eius præmia percipiamus. Quod nobis clementissimus Pater cœlestis, in nomine filij sui Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi pro infinita sua misericordia largiri dignetur. Amen.

Porrò octo Pontifices Romani ad calcem huius libelli adiuncti (sicuti supra in Præfatione monuimus) Papæ Gregorio XIIII. qui nostra hæc ætate Romanam regit Ecclesiam, ordine successuri sunt. Octaui autem Pontificis finem excipiet regni Antichristi initium, quemadmodum ex Vaticinijs Abbatis Ioachimi, quæ de Pontificibus Romanis conscripsit, manifesto apparet.

FINIS.

DEO GLORIA.

F.

F. F.

B.

SEQVVNTVR OCTO PON=TIFICES ROMANI ANTICHRISTVM PROXIME ANTECESSVRI, DE QVIBVS IN PRAEFATIONE ET IN VLTIMA TABELLA FACTA EST MENTIO.

Incisio, Hypocrisis in abominatione erit.





Occisio filij, Balael sectabuntur.



I.

VACCA autem quintum, & ſinis vrſos paſcens, ſigna manifeſtat, & modum & locum vnde adueniens ſolus manifeſtabit mihi amicos primos, habes virtutes aliorum, plus diſpenſas circa amicos propterea inueniſti dulciſsimum finem: ſolus ſublimaberis à gloria, & mortuos relinques potentiſsime potentias, ſicut enim imbrem benè inuenies.

2.

ALIA vrſa paſcens catulos, & in omnibus præterquam in vmbra tantum, ſcripta ſimilis natura templorum. Natiuitas abortiua præſigurat. In vltima enim ſcribuntur vltimæ ſubſolares, ante, retroq́; coronæ manifeſtantes diuiſionem totius pœnitentiæ.

Vulpinam

Bona gratia, Simonia cessabit.



Bona oratio; Thesaurum pauperibus erogabit.



3.

VVLPINAM figurasti amicitiam, patienter sensum refrenans sicut multum senex, & canum habens sensum, venientes autem dupliciter voluptates, & septies voluptatem dimisisti confringendas ad inuicem, & in effusionem vallis sanguinum effundendas. Tu pro victoria expandisti manus, benè & gloriosè brauium accepisti in fine sceptri.

4.

ET eleuabitur vnctus qui habet pronomen Monachi petram habitans extra venit mihi alienæ luctus reliquens, & victum agrestem vuæ, mortuus & gemebundus congregans bona dißipans omne præmium iniquitatis, quì totus iustificatus, quando stella apparebit nigra, tunc eris nudus. Item valde ad interiora terræ.

Bona intentio, Charitas abundabit.



Præhonoratio, Concordia erit.



5.

MORTVVS, & nunc oblitus aspectus norunt multi, quamuis nullus istum videat à Deitate manifestatus ex insperato sceptra tenebit istius imperij. Simul enim manifestatus in cælo præco inuisibilis ter clamabit maximè, Ite cum festinantia ad occidentem septem collis, inuenietis virum habitatorem amicum meum, ferte istum in regias sedes caluum, mansuetum, mitem, altæ mentis, acutissimum ad videndum futura præcipuè. In te habebis septem collis imperium.

6.

ECCE item homo de primo genere abscondito, intrans primum singularis in numerosos annos. Nudè venit de petra tenebrosa, vt secundam splendentem incipiat vitam. Imago secundæ vitæ verissima tantum solidè solidus duplicatorum annorum introibit mortuus petram.

Accipe

Bona occasio



Reuerentia & deuotio augmentabitur.



7.

ACCIPE Cidarim mundam tibi commissam, & super induere nouis vestimentis senex sensu, sacerdos Dei magne ne pigriteris sed recipias: potentissime. pensa de fine, & ad bonum dirige sceptrigeram, alia quidem non metuens. Tempus enim desuper istud recepisti, solum tribus auroris circumdati anni, & vndenario stellarum completum. Vni tantum fini sacratum, quod admiraris, reliquisti, plaudè placasti altercationem, sequere vocationem, ad præsentem gloriam benè venisti. Dixit autem principijs. Benè comple vniuersam culturam, & habitationes cœlestes ambula. Cœleste enim inest principium & finis.

8.

Bonam vitam inuenisti ab ingloriatione, à virtute autem accepisti plus quam à fortuna, sed nequaquam virtuosam lucraberis gratiam. Inuidia enim contingent iudicia tibi nocentia, non priuaberis à sorte desuper. Væ ciuitas sanguinum vniuersa mendacij dilaceratione plena, non recedet à te rapina, vox flagelli, vox impetus rotæ, & equi frementis.

Cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum.

Cor eius ab àbominatione (vel habitatione) immutetur.

FINIS.

F